5525

11.

Rouchaud

PARTRI SUO DILECTISSIMO,

*Has Medicinæ Studiorum primitias, in æternum ſui amoris & gratitudinis monumentum,*

D. V. C.

Obſequentiſſimus Filius,
JOANNES ROUCHAUD.

# DISSERTATIO MEDICA

## *DE MELÆNA, SEU MORBO NIGRO,*

QUAM in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, Deo duce, & auſpice Dei-parâ, tueri conabitur, Auctor, JOANNES ROUCHAUD ex oppido Thivier, Diœceſis Petrocorenſis apud Aquitanos, Artium Liberalium Magiſter, & jam-dudùm Medicinæ Alumnus, die 12ª. Auguſti, anni 1785.

*Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.*

QUI de morbo iſto diſſeruere, diverſis nominibus hunc inſigniêre. *Melæna* eſt nomen ab *Hippocrate* conſecratum & à *Sauvageſio* uſurpatum. *Frid. Hoffm.* ubì de vomitu cruento, *Tiſſot* in geminâ epiſtolâ ad *Zimmerman*, *Varnier*, *Vandermonde*, *Navier*, &c. In diariis Medi-

cinæ pro annis 1756, 1757, 1758, hunc indigitârunt ſub titulo *morbi nigri*; *Schenkius* ſub nomine *nigrarum dejectionum* illum inveſtigavit. Iſta & alia mutuavit nomina à colore atro materierum rejectarum. *Hipp.* hunc morbum reponere videtur in ſolâ evacuatione materiei nigræ per os; *Varnier* & alii in ſolâ ejuſdem materiei atræ alvi dejectione; ſed multiplicis aliis obſervationibus conſtat, hunc quandòque ſe manifeſtare non ſolùm per illas evacuationes ſeorsìm; ſed etiam conjunctìm factas pro ſede materiei congeſtæ: undè ſi ſedeat in ventriculo ſolo potiùs per vomitum ſuccedit evacuatio; è contrà ſi per tractum inteſtinorum vagetur, pro viâ eliminationis alvum ſibi eligit natura: aſt vero ſi utramque regionem epigaſtricam, nempè, & hypogaſtricam occupat, per utraque hæc duo emiſſaria ſimûl viam ſibi apperit. Ideò *melænæ* nomine intelligimus *morbum acutum evacuatione materiei nigræ per vomitum, aut ſeceſſum ſeorsìm vel conjunctìm factâ notatum.*

Duplicem cauſam materialem agnoſcit morbus ille bilem, ſcilicet, atram & ſanguinem qualitate ſepticâ donatum in ventriculo aut inteſtinis vel in utriſque collectum. Ex illâ duplici causâ naturalis exurgit diviſio in duas melænæ ſpecies. Itàque cum Celeberr. hujus Licæi Profeſſore D. *Sabatier*, qui tàm nitidè hunc morbum in ſuis optimis de morbis acutis prælectionibus delineavit, illum dividimus, in melænam atrabilariam & ſanguineam: verùm cùm in diviſione morborum variæ ſpecies non ſolùm caracterem generis; ſed etiam differentias per quas à ſe invicem diſcrepant, ſub ſe complecti debeant, quid commune, quidve peculiare habeant inter ſe ſtatuere, enitamur.

In genere morbus ille cum corporis refrigeratione ingruit: ſi materies morbifica regionem epigaſtricam occupet, anxietates graves doloreſque gravativi præcipuè poſt paſtum circà præcordia perſentiuntur, dantur cephalalgiæ adeò graves uti oculis non videat ægrotans obſervante *Hippocrate*: brevì ſuccedunt nauſeæ, quas preſſo pede ſubſequitur vomitus materiei nigræ infaceto odore nares ferientis. Subitanea virium proſtratio, ſyncopes minimo motui recurrentes; affectiones ſpaſmodicæ graves, ſubſultus tendinum. *Talia proveniunt ſymptomata quæ vix à veneno ſpectanda forent* (Junker); febris ut plurimùm nulla, interdùm tamen plùs minùſve intenſa adeſt. Pulſus vulgò parvus, contractus, debilis, depreſſus digitoque prementi evaneſcens, convulſivus & etiam quandòque intermittens; modò tamen ſatis validus, explicitus, magnus duruſque. Facies ſæpiùs pallida, plumbea; nùnc rubedine perfuſa. Si congeſtio ſedeat in inteſtinis, intumeſcit venter, de dolore lumborum conqueruntur ægrotantes; in artubus inferioribus perſentitur torpor frigoriſque ſenſus. Superveniunt ſeceſſus caracterem materiei congeſtæ redolentes, lypothy-

miæ graves & alia quæ jam innuimus. Urina eſt cruda, vel ſubnigra, abſquè ſedimento, vel cum ſedimento *magmæ Café* ſimili. Exaratis ſymptomatibus iſti generi morborum magis familiaribus, videamus quæ uniuſcujuſque caracterem conſtituunt.

Morbus niger ab effuſione ſanguinis hoc peculiare habet quod materíes per vomitum aut ſeceſſum rejectæ quandòque ſint coloris atro rubri, quæ, ſi dividantur, intùs rubeſcere obſervantur; nùnc atramentum typographicum æmulantur. Mutationem etiam patiuntur ratione conſiſtentiæ: undè nùnc grumoſæ, nùnc vini amurcæ ſimiles; modò formam inteſtinorum ſervantes botellos referunt. Sivè in ſanguine vigeat diatheſis putrida generalis ut plerùmque contingit in morbo de quo hìc quæſtio eſt; ſivè illam diuturniori in locis calidis & humidis quales ſunt ventriculus & inteſtina commoratione, contraxerit, tùnc fœtorem peculiarem putriditati ſubſtantiarum animalium, *cædis*, nempè, adſtantibus ipſoque ægrotanti intollerabilem, ſpargunt excreta. Ait enim *Hipp. quum nigrum cruentem vomuerit cadaver olere videtur.* Cutis color eſt naturalis.

Melænæ ſpeciem quæ originem ſuam trahit à degeneratione atrabilioſa ſiſtunt ſequentia. *Qui hoc morbo laborat*, inquit *Hippoc. bilem atram tanquàm fæcem vomit, interdùm tanquàm polypi atramentum, quandòque acidum tanquàm acetum: fauces & os vomitu incenduntur, dentes ſtupeſcunt & quod vomitione rejectum eſt terram attollit, ab eâque ſublevatur ægrotans; aſceſcit ſaliva.* Dejectiones initio morbi parùm ſunt conſiſtentes; nùnc dilutam picem refferunt, quandòque colorem atro virideſcentem exhibent, eòque majorem rependunt fœtorem, quò diutiùs in primis viis retentæ fuere; ſed fœtor ille eſt ſordium fœtor ad ſummum gradum alkaleſcentiæ evectarum, qui nunquàm redolet odorem, quem primæ melænæ ſpeciei, cadaveroſum ſcilicet, genuinum eſſe vidimus. Dejicitur appetitus cachochiliâque quâdam obtegitur lingua, faciei color aliquantiſper nigreſcit.

Quæ hactenùs de duplici illâ morbi nigri ſpecie diximus, pluribus in caſibus ſanè ſufficerent, ut vera differentia, quæ inter illas reperitur, poneretur; ſed analogia quam habent inter ſe in aliis circumſtantiis ratione coloris atri materierum rejectarum aliorumve ſymptomatum, comilitio, quam alias mutuò agunt, hanc diſtinctionem difficiliorem reddunt nullumque etiam ſignum, ut ità dicam, Medico perſcrutanti quo ſufficienter innitatur hæc differentia percipere, ſinunt. Porrò hæc rerum ambages brevì evaneſcet, ſi aquâ tepidâ dilutis excretis, linteum candidum in illis immergatur, tùnc enim colore ad rubedinem vergente ſi ſit ſanguis, fuſco vero ſi atrabilis, tingetur pannus. Pleniùs confirmabitur noſtra diagnoſis inconcuſſo ſequenti experimento à D. *Sabatier* tentato, quod cùm genuinæ

obſervationis ſoboles ſit maximique emolumenti non ſolùm in ſuâ quam maximâ ſimplicitate ſtatuenda; ſed etiam in ſuâ complicatione dignoſcendâ, hìc refferre juvat: ne autem inaccuratâ expoſitione alteretur operæ pretium eſſe conſultò duximus, ſi Celeberrimi hujus Profeſſoris propria verba fideli calamo exararemus. Hæc evolvent proximè ſequentia. « Infundo aquam ſuper materies rejectas: ſi ſint bilis degeneratæ productum aquâ colorem fuſcum adipiſcitur materiemque magmæ » café, gallicè (*au marc de café*) deponit. Si vero à ſanguine effuſo » procedant rubeſcit liquor: in complicatione autem liquidus in colorem » atro rubrum reſolvitur & in fundo vaſis ſedimentum priori ſimile remanet. Urinæ phœnomena parùm abſimilia mihi obtulerunt, obſervavi » enim has eſſe crudas in morbo nigro à ſanguine producto abſquè ullâ » ſedimenti ſpecie; nigras vero in atrabilaria & cum ſedimento nigro. »

Juxtà varios Auctores melæna cruenta à vario fonte ſcaturire poteſt pro variis locis hæmorrhagiam perpetientibus; hìnc ſecundum ipſos illam faciunt hæmorrhagiæ narium, uvulæ, pharingis, æſophagi, &c. præcipuè ventriculi & inteſtinorum. *Per rixim, diabroſim, diapedeſim aut anaſtomoſim* fiunt hæc ſanguinis profluvia, ut aïunt veteres: *rixi* autem faventia ſunt ictus agentium externorum, varii in tollendo vel ſuſtinendo pondere conatus; exercitium vehemens, febris ardens; anevriſmata & varices; infarctus nimii vaſorum, quibus anſam præbent evacuationum conſuetarum ut menſium & hæmorrhoïdum ſuppreſſiones; plethora ſivè generalis, ſivè particularis ſit, laxa vaſorum compages, quæ ipſa pro ſuæ geneſis cauſis agnoſcit debilitatem natalem cujuſdam partis, vel productam à gravi quodam morbo jam prægreſſo pro quâ incuſari poteſt non ſolùm impreſſio materieì irritantis, à ſpaſmo enim reſolutio; ſed etiam abuſus remediorum variorum & præcipuè calefacientium, qualia ſunt cardiaca valentiora, ſpiritus volatiles v. g. quæ cum habeant effectus reſtaurationis brevì evanidos, debilitatem diù ſubſiſtentem poſt ſe relinquunt, præſertìm in organis ſuper quæ actionem ſuam primariam exeruere. Abuſus potulentorum ſpirituoſorum ut probant exempla quotidiana hydropum ab uſu vini immodico; aquæ tepidæ familiaris uſus ſuam quoque ſymbolam in debilitate vaſibus viſcerum abdominalium inducenda conferunt.

*Diabroſis* natales habet ab acrimoniâ ſivè in humoribus circulantibus, ſivè à ſuccis gaſtricis concepta; hinc *melæna* atrabilaria ſanguineam producere valet. Subſtantiæ acres ingeſtæ, ulcus internum ibi etiam locum ſibi inveniunt.

Sub jam dicto vaſorum infarctu intelligitur locum dari poſſe *diapedeſi*, ſi vigeat in ſanguine ſummus tenuitatis gradus; hancque inter cauſas vulgatiſſimas hæmorrhagiæ internæ, melænam inducentis, reponunt Auctores.

Alia & etiam datur hæmorrhagiæ ratio, quæ vaſibus prorsùs illibatis inferre valet diſſolutio putrida, ſi, nempè, is ſanguini concilietur tenuitatis gradus; quo vaſa minora ſubire par ſit, ut obſervare licet ſub cœlo fervido atque humido in variolis, morbillis, morbis petechialibus & ſcorbuto. Hæc hæmorrhagia *per anaſtomoſim* fieri dicitur. Illæ duæ ultimæ hæmorrhagiarum rationes eſſentialiter conſtituunt morbum nigrum acutum cruentum, de quo nobis agendum incumbit; alias vero ſpecies tanquàm ſpurias, vel ſymptomaticas tantùm habemus.

Quoàd ſecundam morbi nigri ſpeciem, quam ſtatuimus, atrabilariam nempè, valdè diſponunt victus crudus, animi pathemata, diatheſis hypochondriaca præprimis, curæ & vigiliæ, abuſus eſculentorum calefacientium, immodici labores animi, &c.

Enucleatâ brevì compendio morbi noſtri æthiologiâ, ſivè in genere, ſivè in ſpeciebus; ne confuſioni locus detur, diſcrimen, quod reperitur inter morbos magis ſibi affines, ſtatuendum nobis ſupereſt. Itàque in dyſenteria dejectiones ſunt conſtanter frequentes & parcæ, nùnc cruentæ nuncque mucoſæ: cum teneſmo & torminibus ſuccedunt. In morbo autem nigro ſat copioſæ, neque tàm frequenter alvum deponunt ægrotantes. Nigredo excretorum ſinè torminibus ejus caracterem conſtituunt juxtà Cel. de *Sauvages.*

In fluxu hepatico dejectiones ſunt loturæ carnium recenter mactatarum ſimiles.

In hæmorrhoïdibus ſanguis eſt floridus, fluxilis; è tuberculis rubris, duris, dolentibus ad anum poſitis, aut in recto latentibus, manat cruor.

Sanguis rejectus in vomitu cruento colorem rubrum vel è fuſco rubrum refert. In hæmoptiſi cruor eſt floridus, ſpumoſus, cum tuſſi & conatibus expuitur. Sanguis rejectus in omnibus illis caſibus eſt inodorus, vel ſaltèm odoris cadaveroſi expers. Ex jam allatis ſatis innoteſcit morbi nigri diagnoſis; ideò nùnc ad prognoſim pedem promoveamus.

Si adeamus antiquos Auctores qui de melæna ſcripſêre, non niſi infauſta prognoſis eruenda erit: ſic enim apud *Hipp.* legimus, *dejectiones nigræ cujuſmodi eſt ſanguis, quæ ultrò diſluunt, tùm ſi cum febre, tùm ſine febre calamitoſæ.* Et alibi, *vomitio ſi porracea, livida aut nigra fuerit, mala.* Non meliora nobis promittit *Etmuller*, *ad unum omnes pereunt*; inquit. Si neotericorum obſervata pervolvamus, major ſpes affulgebit; ex ſeptem enim obſervationibus à D. *Varnier* in diario Medicinæ pro anno 1757 conſignatis, ſex cicuravit, ſeptimuſque periit, nullo accepto ſublevamento. Permulta fauſtarum ſanationum hujus morbi generis exempla ſparsìm legere eſt apud varios Autores, & præcipuè in variis diariis Medicinæ, apud *Tiſſot*, &c. quamvis feliciorem ſucceſſum obti-

nuerint recentiores, non exiſtimandum tamen quòd benè de illo ſemper ominandum ſit; non enim ea fuit medicationis ab illis abdhibitæ efficacia, quâ omnes emerſerint, quod probat ſolummodò ab illis abdhibitam fuiſſe therapeïam magis directam, non verò ſpecificam. Fauſti ominis ſunt excretum non in magna quantitate, nec ſæpè recurrens, dùm modo cætera non reclament; ſi enim hæc eſſent ſignum fatiſcentis naturæ, pejor foret ægrotantis conditio; mutatio coloris nigreſcentis excretorum in rubrum, aut indolem bilis adipiſcens fœtiditatis imminutio, pulſus febris expers, vel non multum febrilis & à debilitate naturali parùm abludens. Celeber. *Grand* in optimo ſuo de febribus tractatu tanquam bonæ prognoſis ſignum habet aciditatis ſenſum quem poſt ſe relinquunt materies rejectæ, ſic enim aït: *dum humor ille guſtui aciditatis impreſſionem relinquit, ſpes eſt ſanationis; mors verò proximè ſequitur ſi vomitus fœtidi acrimoniâ ſint præditi.* Si vires conſiſtant, vel parùm infringantur & intrà breve tempus reſtitui videantur, faciei color non multum immutetur, extrà aleam brevi ponitur ægrotans. Si è contra à morbo quodam gravi, vel copioſioribus diuturnioribuſque evacuationibus ad incitas redactus ſit ægrotans, juxta *Hipp.* indeclinabile eſt fatum; ſic enim aït *divus ille ſenex* : *quibuſcumque ex morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, ſivè quovis alio modo extenuatis nigra bilis, ſivè ut ſanguis niger deſuper exierit, poſtridiè moriuntur.* Hæc autem eò pejoris ſunt ominis, quò ætate provectior eſt ægrotans; nam celeberrimus *de Sauvages* obſervavit hunc morbum pro ſenili ætate ut plurimùm lethalem eſſe. Huic *Sauvageſii* ſententiæ curationes per plures ſenium à Cl. *Sabatier* peractæ excepta ponunt. Si morbo locum dederunt obſtructiones, ſchirri, ulcera interna ſaltem valdè dubius eſt eventus: nam de hoc morbo agens *Petrus Salius diverſus* aït : *ſin vitium accedat viſcerum ipſaque eorum ſubſtantia labefactetur, pernicioſæ ſunt ejuſmodi dejectiones.* Præſagia adeò exitioſa probant abſque dubio evacuationes nigras ſivè ano ſivè ore ſuccedant, ſummo ſtipari periculo, non tamen omnem curationis ſpem adimunt cùm non raro eveniat, quòd cùm bonis ægri rebus fiant tales evacuationes præſertìm apud hypochondriacos; his enim à gravi materia exoneratur natura : aliundè non paucæ numerò extant obſervationes ægrotantium & melænâ laboratorum, qui quamvis ad ultimum vitæ terminum pertangere viderentur, aptâ adhibitâ medicinâ plenariam ſanitatem recuperavêre. Minus damnoſæ ſunt evacuationes ſi ano tantum ſuccedant obſervatione teſte, nobis enim declaravit pluries ſupra laudatus *Profeſſor* « ſe nullos, quibus alvi fluxus & vomitus per totum morbi » decurſum aderant, omnes verò, quibus alvus ſola materies evacuabat, » vel in quibus ſub morbi tantum initio vomitus apparuerat, ſanatos vidiſſe.»

Ex jam allatis patet melænam originem ſuam trahere ab apparatû quodam materiei atrabilioſæ, bilis uſtæ, in ventriculo aut inteſtinis, vel in utriſque collectæ, à colluvie-ve ſanguinis in illis effuſi, qualitate ſepticâ plus minuſve infeſti : cum verò obſervatione conſtet in utrâque melænæ ſpecie eamdem medendi methodum ſuccedere; indicationes, quæ veniunt adimplendæ, exploremus. In utraque circumſtantia 1° quælibet evacuatio ſivè ano ſivè ore ſuccedat ſiſtenda; 2°. diatheſis putrida ſanguinis aut bilis degeneratæ arcenda; 3°. vires debilitatæ erigendæ; 4°. tandem materies corrupta eliminanda. His omnibus indicationibus ſatisfaciunt acida ſivè vegetabilia, ſivè mineralia, antiſeptica, diæta, purgantia mitiora & clyſmata.

Inter acida è Regno vegetabili deprompta, quæ adhibere convenit, annumerantur ſucci limoniorum, citri, groſullariæ, punicæ, acetoſæ, oxalidis cum aliquo ſyrupo maritati. Cl. *Sabatier* multoties cum feliciſſimo ſucceſſu in morbo noſtro ſuccum limoniorum ad doſim cochlearis unius pro quâlibet integrâ vel ſemi-horâ pro ſymptomatum urgentiâ, cum pari ſyrupi Capilli veneris quantitate, adhibuit. Si habitâ ratione ad anni tempeſtatem in manibus eſſe nequeant acida jam recenſita, vel etiam impenſis ſubvenire nequeant ægri facultates, utiliter acetum cum ſacchari diſſolutione, vel aquâ ſimplici hordeatâ mitigatum ſubſtitui poterit. Acida mineralia quæ frequentius in uſum veniunt, ſun taqua temperata *Baſilii Valentini*, *Rhabelii* eſſentia, ſpiritus ſalis, & vitrioli ad placidam uſque aciditatem aquâ diluti. Ad illa confugiendum non eſt niſi ſumma in humoribus putriditas, virium que jactura adſint; juſto enim citiùs hæmorrhagiam ſupprimerent.

*Kinakina* potentiſſimum antiſepticum ac tonicum iiſdem in circumſtantiis ac acida mineralia dùm, nempè ſummum impendet vitæ periculum debilitatis cauſâ, locum ſibi invenire poteſt, præſertim ſi in conſuetudinem abierit hic morbus, ut non raro evenit in melænâ cruentâ; nam cortex ille hanc ſibi peculiarem habet virtutem, quâ largâ doſi propinatus, impreſſiones à repetitis actibus efficaciter deleat. Ad hujus ſententiæ confirmationem adduci queunt curationes hæmoptiſium certis periodis redeuntium ſolo *KinæKinæ* uſu peractæ. Sublatis conditionibus jam poſitis cautè ab illo abſtinendum ſive ſanguinem, ſive materiem atrabilioſam pro ſuâ cauſâ agnoſcat; ſi enim conſiſterent vires, hæmorrhagiæ impetum augeret, materiemque morboſam in inteſtinis altiùs infigeret, eamque difficiliorem evacuatû redderet, quod ſummoperè vitandum.

Succeſſus generalis, quem habent acida in affectionibus bilioſis, illa meritò in melæna atrabilaria commendavit; attamen ſive vegetabilia, ſivè mineralia contraindicari videntur quandò materies tantam aciditatem

concepere, ut quaſi corrodant vias quibus expelluntur, ait enim *Stolius: ſi acidis acida jungantur, in peſſimam acrimoniæ corroſivæ ſubſtantiam abeunt.* In hoc caſu ipſis anteponendi ſunt ſucci ſaponacei vegetabilium, quales ſunt lactucæ, ſonci, portulacæ, taraxaci; valdè etiam conducit ſerum lactis.

Talibus auxiliis inſiſtendum uſque dum clauſi ſint rivuli in melæna cruenta, materieſque congeſtæ in utrâque ſpecie coctæ ſint: hæc autem nobis manifeſtabuntur per virium reſtaurationem, mutationem coloris quæ operatur in eo quod excreta quæ initio atra erant colorem ad luteum vergentem in melæna atrabilaria adipiſcantur; in cruentâ vero colore rubeſcente notentur. Major excretorum conſiſtentia nobis etiam ſignum erit coctionis operatæ; nulla enim alia ratio quærenda eſt illorum tenuitatis initio morbi obſervatæ præter facultatum digeſtivarum læſionem.

His omnibus adimpletis reſtat ut de eliminatione materierum congeſtarum occupemus. Ad illud faciunt purgantia mitiora pro neceſſitate viribuſque ægrotantis repetenda (*veneni inſtar ſunt cætera); metus enim eſt ne in ſenſibili & nauſeoſo ventriculo emeſim adeò nocivam cieant. Motum intendunt, & nocent motus* (Tiſſot). Caſſia, manna, tamarindi, folliculæ, ſyrupus violarum omnem adimplent paginam. Removenda eſſe varia ſalia, eroſionis metu, contendit *Varnier.* Purgantia aſtringentia non melius conducunt, cum alvum adſtringant tempore, quo intenditur illius reſeratio. Multùm proſunt clyſteres; diluunt enim & leniter ſine irritationis vitio peryſtalſim excitando, contrarios ad nauſeam motus ſedant, tanti inde in morboſo vomitu. Quamvis evacuationis indicatio in genere tanquam ſecundaria tantum habeatur, videtur tamen hanc primas tenere debere ſi maxima ſit turgeſcentia in primis viis; tunc enim metus foret non ſolùm, ne diuturniore materies putridæ commoratione impreſſionem deleteriam ſuper nervos agerent, gangrænam in inteſtinis accerſerent; ſed etiam ne ex levi ſuperficiariâ que ſyſtematis gaſtrici affectione vias ſecundas penetrando pejores ſtrages ederent; quæ damna ſanè metum hæmorrhagiæ etiam ſollicitandæ vincere debere, nemo inficias ibit. In hoc ergo caſu quamprimùm indulgendum evacuantibus, ſed 1°. clyſmatibus alluenda eſt alvus, quæ ſi non ſufficiant, ad purgantia quæ ſupra commendavimus confugiendum. Si abſque peccato hæc teneri poſſit agendi ratio in melænâ cruentâ; à fortiori in atrabilariâ in quâ removetur omnis hæmorrhagiæ metus.

Periculum, quo impenditur emeticorum uſus in hæmorrhagiis internis, nimis affulget, quàm ut etiam minùs benè occulatos fugiat hanc medicamentorum claſſem à curâ morbi nigri cruenti proſcribendam eſſe: reverâ nemo non videt primo intuitu quid valeant ad evellendum thrombum jam

efformatum

efformatum contractiones tumultuoſæ diaphragmatis, ſtomachi tunicarum, muſculorum abdominalium: uno verbo totius machinæ vehementes ſuccuſſiones; ſed ſicut in externis vulneribus rudiùs evulſo thrombo nova ſuccedit hæmorrhagia, ſic & in internis. Aliundè quoties integris etiam vaſibus vomitum ſanguinis non ne excuſſit emeticum? Non ex falſâ theoriâ judicare debemus de utili ſuâ applicatione in morbo noſtro; haud enim ibi valet hoc celebratum effatum, *vomitus vomitu curatur*, cùm ex obſervatione indubitatum maneat quod quotieſcumque vomitus per aliquod tempus ſtat, toties de ſalute ægrotantis deſperandum ſit; remedium ergo quod huic evacuationi faveret, fatum accelerare. Neque huic obſervationi obſtant commoda quæ ex eo obtinuerunt Medici, hæc enim ad melænam ſymptomaticam refferri debere, cenſemus.

Venæ-ſectio non ſolum inutilis, ſed etiam periculoſa eſt in morbo iſto perſanando ſi debilis ſit pulſus, vires fractæ, pallidior faciei color & infrà naturalem calor; nam omne remedium depromptum è numerò illorum quæ ſub nomine *magnorum auxiliorum* veniunt & in quorum cathalogo quaſi primas tenet v. ſ. ſi non prodeſt, nocet & hoc præ pluribus aliis v. ſ.: verum prodeſſe non poteſt; ut enim hunc ſotiretur effectum, requireretur ut indicationibus adimplendis ſatisfaceret; ſed ne minimam adimplet, ſiquidem præcipuæ indicationes ſunt, diatheſim putridam maſſæ generalis ſanguinis arcere, fomitem morbidum in ventriculo & inteſtinis collectum corrigere & evacuare, ſyſtema gaſtricum & vaſculoſum roborare: ſed quid huc v. ſ.? Sanè morbi incrementum; nam laxat: ex laxitate autem duo peſſima & indicationibus prorsùs adverſa putredinis, ſcilicet, incrementum & vaſculorum imbecilitas; ex autoritate enim *Pringlii*, *omne quod ad relaxandum tendit ad putredinem diſponit*; ergo putriditas putriditati, debilitas debilitati adderetur; ergo &c. ei tantum indulget *Varnier*, quandò ſumma adeſt in pulſu durities; ſi tamen conſiſtant vires, concurrant ſigna plethoræ, præſertim ſi originem ſuam trahat à ſuppreſſâ quâdam evacuatione; ſi vivida ſit febris, dolor, ſpaſmuſque vigeat in aliquo viſcere, mira præſtabit v. ſ.; conducunt & etiam in illis caſibus litus oleoſi camphorati ſuper partes, dolore ſpaſmove tentatas; victus tenuis, potus temperantes & reffrigerantes.

Aſtringentia raro conducunt in hæmorrhagiis, nullum vitium in ſanguine præſuponentibus; à fortiori ergò in illis in quibus aliqua labes in eo eſt; hanc enim citiùs ſupprimunt, vaſcula criſpant, conſtringunt, liquida nimis denſant, undè novæ ſtaſes ſanguineæ novique hæmorrhagiæ fontes. Palmam merentur ſuper illa, acida ſivè vegetabilia, ſivè mineralia; nàm eo ipſo, quod putriditatem arceant tonumque ſolidis inducant, hæmorrhagiam ſiſtunt ipſius cauſam evellendo. Si tamen illis invitis nihilominùs

perſtet hæmorrhagia & in proximo vitæ diſcrimine ſit ægrotans, maximi momentierunt aſtringentia non ſolùm levia, qualia ſunt ſucci urticæ, plantaginis, centinodii, &c. ; ſed etiam valentiora, qualia ſunt ſanguis draconis, alumen, bolus armeniacus, &c. Illa commendat *Varnier* in morbo nigro in quo pertinax eſt hæmorrhagia, cumque fœtoris odor, colorque ater exulant ; quià tùnc temporis citrà ullum diſcrimen intrà ſua vaſa coërceri poteſt cruor.

Debilitas, quâ plerùmque ſtipatur hic morbus, videtur primo intuitu cardiaca expoſtulare ; ſelectus verò iſtorum remediorum res eſt etiam peritioribus difficilis ; quot enim ſunt debilitatis cauſæ, tot cardiacorum genera, nec aliud datur quàm quod debilitatis cauſam tollit ; hìnc in atoniâ vires erigunt acerba, ſtimulantibus, vinoſis, ſpirituoſis mixta ; in defectu bonorum ſuccorum nutrientia : porrò debilitatis cauſæ in melænâ cruentâ ſunt nimia vitalis laticis effuſio, vel etiam ſeptica ipſius qualitas, quæ cùm impreſſionem deleteriam ſuper nervos ventriculi & inteſtinorum inducat ſympaticè repetitur in ſyſtemate generali nervorum, ex indeque naſcuntur affectiones graves, quales ſunt ſyncopes & lypothymiæ ; in atrabilaria verò locum dant debilitati copioſiores evacuationes, aut congeſtio ſumma in abdomine ſub quâ quaſi obruuntur vires vitales, & hæc ponunt differentiam, quæ ſubvenit inter debilitatem *ab exhauſtu & ab oppreſſione virium*, pro quibus dignoſcendis ſic habet *Bianchi hiſtoriâ hepaticâ : quando Medicus in morbi principio debilem pulſum explorat, interroget* 1°. *an præceſſerit aliqua inſignis evacuatio aut hæmorragia, aut diarrhæa, aut alterius generis, an longum jejunium, magnus labor, aut magnus dolor : obſervet poſtmodum an pulſus, quò magis comprimitur, magis evaneſcat, & ex his manifeſta erit debilitas ab exhauſtu : ſed ſi nulla ex dictis cauſis præceſſerit, pulſus ſit inæqualis & licet parvus, comprimenti reſiſtat, ac reſiliat, credite ſine hæſitatione quod debilitas eſt ab oppreſſione nec roborantibus indiget, ſed vacuatione.* Ut ergo utiliter profligentur geminæ illæ debilitatis ſpecies illarum cauſæ oppugnandæ ſunt ; hoc autem præſtabunt acida cum victu ratione viribus ægrotantis accommodata ; diætâ enim analepticâ cavetur ne vires deficiant, hæmorrhagiâ ſemel compreſſâ, & acida eâ ipsâ virtute, quâ pollent, vim putrefactionis corrigendi, vel ſaltem contranitendi fibras firmando, ſanguini conſiſtentiam inducendo, hæmorrhagiam compeſcunt, ſi perſtet adhuc, ſicque debilitatem, debilitatiſque cauſam indirectè quidem, ſed efficaciter delent. Debilitas *ab oppreſſione* acidis, evacuantibus & diætâ tenui propugnatur, cardiaca vulgò ſic dicta contrarios præſtarent effectus, 1°. in debilitate *ab exhauſtu virium* ; ſic enim aït *Albertus : quandò ſecundum præſumptionem ventriculi debilitati, aut attoniæ viſcerum ſtomachica &*

*ſanguinem commoventia remedia adhibentur*, *non modo tota hæc calamitatum ſeries augetur*, *ſed & faciliùs & certiùs eruptio cruenta adjuvatur & acceleratur*; ergo ab illis revocaretur hæmorrhagia, ſi compreſſa, vel adhuc vigens augeretur; unde nova debilitatis origo. Aromatica in regione umbilicali & epigaſtrica non abſque fructu adhibita fuere. Non meliùs conducunt cardiaca in debilitate *ab oppreſſione*, nam omnia exacerbant ſtimulum & calorem augendo, evacuationes præpediendo & materiam morbidam ſudoriferorum more impigendo. Ex illis patet quanta damna inferant, qui, ſimul ac labuntur vires, ad ſtimulantia, juſcula ſucculenta & aromatica haud ſatis damnandâ praxi citò confugiunt. Si ob metum vitæ brevi ſufflaminandæ ad illa recurramus, cum acidis ſunt maritanda. In illo caſu anteponit *Varnier* eſſentiam *Rhabelii*, quam præpollere virtute cardiacâ ſupra liquor. minor. anodi. *Hoff*. contendit eâ ſcilicet ductus ratione quod liquor ille non niſi ſimplex ros vitrioli, ſpiritui vini unita, ſit. Aliunde hæc opinio experientiâ fulcitur. Ubi maxima ſævit debilitas *ab exhauſtu* lubentiùs vinum quo nullum præſtantiùs tonicum & antiſepticum ſuaderemus.

Quod ad diætam ægrotantis ſpectat, hanc regunt aër & alimenta. Itaque aërem frigidiuſculum quantum fieri poteſt & renovatum procurare debemus; nihil enim aëre calido magis putredinem juvat ac reſpirationem lædit, præcipuè ſi ab expiratione hominum putridiſque excrementorum effluviis fædatus ſit, quod contingit quotieſcumque tùm ſegnitie, tùm refrigerii metu pluries de die haud immutatur aura.

Quoàd alimenta, duo ſunt præcepta, à quibus recedere nequit Medicus, primum ut vires digeſtivas non ſuperet quantitas; ſecundum ut qualitate morbi cauſæ oppoſitâ gaudeant. Hic ſanè tenuiſſimam diætam imperant tùm ipſe ventriculus valdè debilitatus, omnia faſtidiens & plerùmque rejiciens, novum gravamen quod poſt aſſumptum cibum perſentiuntur ægrotantes; tùm & ipſa colluvies putrida primarum viarum; turgente enim ventriculo putridis ſordibus omnis perverſa eſt vis digeſtiva; ſed nihil alit niſi quod digeritur & quidquid ægrum non nutrit, morbum alit: cùm ergo impares ſint vires ventriculi digeſtioni ſolidorum, liquida tantùm de facili digerenda adhibere debemus; ſed ut adimpleatur ſecundum præceptum, uſurpare debemus quæ debilitare & putreſcere nequeant; ad id conferunt cremores hordei, oryzæ, avenæ, gelatina cornu cervi in quibus exprimitur ſuccus limonii vel citri; aqua pulli, vituli, quibus incoquuntur plantæ aceſcentes. Damnanda ſunt illa fercula ſucculenta ex juſculis bovis, gallorum gallinaceorum, debilitato ventriculo verum farcimen indigerendum brevique putreſcentem præbentia.

Potus, quibus utuntur ægrotantes, ſemper frigidi hauriendi ſunt;

quantùm enim proſunt tepidi hauſtus in rigiditate, tantùm nocent in debilitate: *nam calida faſtidia generat cibi aviditatem minuit, viſcera contriſtat dejicitque eorum vires, nervos effeminat, mentis torporem efficit, animi deliquia, ſanguinis profuſiones (Galenus).*

Ubi diceſſit morbus ſolâque debilitate premitur æger, plenior diæta concedenda, cujus hæc eſt requiſita conditio ut nimirùm nutrimentum molle, facile eliciendum, non faciliter putreſcens, nec nimis laxans adhibeatur. Optimum alimentum præbent caro vituli probè nutriti aſſata, agnus tener, pulli gallinacei; è genere piſcium trutta ſalmonata, perca & alii facilis digeſtionis; dummodò nec pinguedine, nec nimiâ aromaticorum doſi condantur. Ex oleraceis adhibentur radices teneræ ſiſari, tragoponis, ſcoſoneræ, folia chicorii, acetoſæ, ſpinachiæ. Attendendum tamen ne nimiam debilitatem ſtomacho inducant. Fructus illi horræi, quorum ſucci expreſſi utilem morbo medelam præbuerunt, in convaleſcentia comeſti, ſalubre erunt alimentum, modò maturi & crudi uſurpentur; coctione enim vires plerumque peſſundantur, gratum aromaticum ſaporem, cardiacam indè virtutem, ſtimulantem, antiſepticam prorsùs amittunt flatuoſique fiunt. Vini generoſi moderatus uſus mirè conducit; potus calidi ſemper nocent. Si talem diætam ſuſtinendi impar ſit ventriculus, ut ex lacte vivat ægrotans, ſuadet, *Tiſſot.*

Abſolutâ curâ ab emeticis, aloëticis ſubſtantiis pinguibus; oleoginoſis, acribus & ſalinis hæmorrhagiæ revocandæ metu abſtinendum meritò contendit *Hoffm.* reprehendit & etiam ob eandem cauſam uſum veneris & liquorum ſpirituoſorum abuſum, deambulationem & exercitia; ſed plura ex illis de melænâ cruentâ tantùm intelligi debent; in atrabilaria enim non nocent motus, quinimò curam abſolvunt exercitia, aëre campeſtri moderatè capta: & curâ ſemèl abſolutâ nihil obſtat exhibitioni emeticorum nec aloëticorum, cum talia adhibendi ſeſe offerunt indicationes.

Obſervatione pro-certò tenemus morbos ab hæmorrhagiis oriundos non ſolùm varios pati relapſus; ſed etiam naturam loca, quibus jàm evacuata fuit, præ aliis eligere, ut conſtat hæmorrhagiâ narrium quæ plerumque fluit nare, quæ pro primâ vice ipſi exitum dedit; quod autem idem dicendum ſit de hæmorrhagiis ſtomachi & inteſtinorum probant frequentes recidivæ de melæna cruenta apud Autores inveniendæ. Prudenter ergò ſegeret Medicus, qui curam confirmatoriam; quæ nempè debilitatem vaſculorum expugnet, adhibebit. Hanc ponent vini generoſi moderatus uſus, kinakina, amaricantia, aquæ martiales, frictiones ſiccæ in regione abdominis, vel etiam cum tenui laneo panno, vapore ſubſtantiarum aromaticarum imbuto, cataplaſmata earumdem ſubſtantiarum, balnea frigida & applicatio ipſa aquæ glacialis.

Variæ aliæ melænæ ſpecies ſuas habent indicationes proprias pro variis cauſis, ipſis anſam præbentibus & complicationibus quibus ſtipari queunt; hinc ſi ſuppreſſio cujuſdam evacuationis habitualis ut menſtruarum & hæmorrhoïdum infarctui vaſorum, locum dederit, de illis fluxibus per remedia convenientia revocandis cogitandum; ulceri interno proſpiciendum, cùm rodendo hæmorrhagiam pus induxit; concurrente febre putrida vel alterius generis, ad varia remedia, à therapeïa illarum affectionum petenda, confugiendum & ſic de aliis. Cum melæna ſoboleſcit ab obſtructione, acida, quæ hùcuſquè adeò decantavimus, nihil boni præſtare valent, quinimò illorum uſu altiſſimas infigeret radices morbus, nàm fluida denſant; ergò obſtructioni favent. Ipſis anteponenda ſunt apperientia, qualia ſunt ſerum lactis, ſucci expreſſi chicorii, taraxaci, fumariæ, infuſa aquoſa rhei, aqua pulli & vituli. Methodus illa optimè ceſſit D. *Merlin* in caſu melænæ ab obſtructione, in quo ruerant acida, ut videre eſt in diario medicinæ anni 1758. Praxis illa confirmatur obſervatione D. *Varnier*, qui unanimi conſenſu cum duobus aliis Medicis in caſu melænæ illius ſpeciei plenario ſucceſſu aquas *Vich* præſcripſit, fruſtrà jàm adhibitis remediis, magis in ſpecie conducentibus. Diæta vegetabilis ibi etiàm mirè conducit, ut apertè probat exemplum mulieris cujuſdam, morbum nigrum jàm paſſæ, & de dolore lumborum conquerentis, apud quam ceſſabat dolor anni tempore quo larga fructuum horræorum edulia; recrudeſcebat verò, ubi per hiemem eorumdem aderat inopia.

*FINIS.*

# ARGUMENTABUNTUR
## *N.N. D.D. PROFESSORES REGII.*

N. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*
N. D. PAULUS-JOSEPHUS DE BARTHEZ, *Cancellarius & Judex. Adjunctus.*
N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*
N. D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Pro-Decanus.*
N. D. ANTONIUS GOUAN.
N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.
N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.
N. D. JOANNES SABATIER.
N. D. JOANN. CAR. DE GRIMAUD, N. D. DE BARTHEZ, *Coadj.*
N. D. HENRICUS - LUDOVICUS BRUN, N. D. DE LAMURE. *Coadjutor.*